Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

esse per Gabinium. M. octacilium. L. Valerium: qui descriptos a priuatis versus circa mille deportauerunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem: In his ergo uersibus: quos romam legati attulerunt: de uno deo hec sunt testimonia.

Vnus deus qui solus est et qui maximus non creatus

Huncesse solum summũ deum: qui caelum fecerit. luminibus distinxerit. Caeterarum deus solus q̃ excellentissimus: qui fecit caelum solemque stellas atque lunam frugiferamque terram et aquae maris fluctus. Ipsum qui solus est: colite principem mundi: qui solus est in seculum atque ex seculo

Solus enim deus sum et non est deus alter

Qui quoniam solus sit ita et edificator mũdi et artifex rerum uel quibus cõstat uel que in eo sunt: solum coli oportere testatur.

Item alia sibilla quaecumque est: cum preferre se ad homines: uocem dei dicere sic ait: —

VII. Exequerer nunc testimonia caeterarum: nisi et hec sufficerent: et illa oportunioribus locis reseruarem. Sed cum defendamus causam ueritatis apud eos: qui aberrantes a ueritate falsis religionibus seruiunt: quod genus probationis aduersus eos magis adhibere debemus: q̃ ut eos deorum testimoniis reuincamus: Appollo enim quem preter caeteros diuinum maximeque fatidicum existimant: colophone rñdens: quo delphis credo migrauerat amoenitate asiae ductus querenti cuidam quis esset: aut quid esset omnino deus rñdit xx.ti et uno uersibus: quorũ hoc principium est:

Ex scortis indoctus absque matre. inexpugnabilis. nomen ne uerbo captum. Igneũ seculũ hoc deus: modica uero dei portio angeli nos.

Numquid pōt suspicari de ioue esse dictum: qui et matrem habuit et nomen: Quid quod mercurius ille ter maximus: cuius supra feci mentionem: non modo ἀμήτορα ut appollo: sed ἀπάτορα quoque appellat deũ: quod origo illi non sit aliunde: Nec enim pōt ab ullo esse generatus: qui ipse uniuersa generauit: Satis ut opinor: et argumentis docui: et testibus confirmaui: quod per se satis clarum est unũ esse regem mũdi: unũ patrem: unũ deũm: Sed fortasse querat aliquis a nobis idem illud: quod apud Ciceronem querit Hortensius: Si deus unus est: quae esse beata solitudo queat: tamq̃ nos: qui unum dicimus: desertum atque ac solitarium esse dicamus: Habet enim ministros: quos uocamus nuncios. et est illud uerum: quod dixisse in exhortationibus Senecam supra retuli: genuisse regni sui ministros deum uerũ: Hii neque dii

Sine matre
Sine patre